



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Gallia Vindicata, In Qua Testimoniis Exemplisque
Gallicanæ Præsertim Ecclesiæ, Quæ Pro Regalia, Ac
Quatuor Parisiensibus Propositionibus A Ludovico
Maimburgo, Aliisque producta sunt, Refutantur**

Sfondrati, Celestino

[Ort nicht ermittelt], MDCLXXXVIII.

4. Ex usu & Praxi Pontificum, multa fidei Dogmata sine Concilio
decidentium.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38277

Ac Augustinus ab hæreticis distincti. Ex quo sequitur, sententias Romani Pontificis in causa fidei prolatas omninò infallibiles esse, alioquin si & veræ, & falsæ esse possunt, quomodo verum à falso, Catholicum ab hæretico distinguunt? Quis ignem à fumo cognosceret, si fumus etiam aquæ conjungi posset? Quis militem à Senatore solo gladio, pallioque, cum ab utroque gestentur? Sic frustra Patres, cæterique fideles veram à falsa Religione auctoritate Pontificiâ discernent, si hæc tam falsæ, quam veræ patrocinarentur.

IV. *Quartò.* Illud quòque Pontificiæ Infallibilitatis certissimum argumentum, quòd multa Christianæ fidei dogmata à solis Romanis Pontificibus sint decisa, hæresesque damnatæ; ex quo, ut jam suprâ ostendi, necessariò sequitur, sententias Romani Pontificis in causa fidei pronuntiatas omnes esse erroris expertes; quod enim fide divinâ credo, non tantum verum est, sed etiam certum, ita ut falsum esse non possit: & fideles ita prompti, paratique esse debent, ad hujusmodi dogmata amplectenda, & retinenda, contrariâsque hæreses respuendas, ut nec sanguini, nec vitæ, exemplo tot millium martyrum, parcere oporteat. Jam verò quàm plurimas hæreses solâ Pontificum auctoritate proscripserunt, & dogmata contraria constituta esse nullo etiam Concilij Oecumenici adminiculo, ita certum est, ut negari non possit.

Nolebant Pelagiani Summorum Pontificum sententijs acquiescere, quibus & necessitas gratiæ asserbatur, & Pelagij errores hæresis damnabantur; provocabantque Pelagiani ad Concilium Universale, quibus egregiè Augustinus (a) in hæc verba respondet: *An verò Congregatione Synodi opus erat, ut aperta peritias damnaretur? quasi nulla hæresis aliquando nisi Synodi congregatione damnata sit, cum potius rarissima inveniatur, propter quas damnandas necessitas talis extiterit &c.* Et paulò post: *Verùm istorum superbia hanc etiam gloriam captare intelligitur, ut propter illos Orientis, & Occidentis Synodus congregetur. Orbem quippe Catholicum quoniam pervertere nequeunt, saltem commovere conantur. &c.* Et alibi: (b) *Quasi verò in Concilio Episcoporum, quod non salubriter, sed jactanter propter vestras quæstiones debere dicitis congregari, si sederent Episcopi, quos*

(a) August. lib. 4. contra duas epist. Pelagian. cap. 12. (b) Idem lib. 1. contra Julian. c. 60.

quos suprà memoravi, facillè invenires, quos eis in doctrina Ecclesiastica antiquitas tradita aquare, nedum præferre possent. Et alibi: (a) Si in Concilio, cuius videris desiderare iudicium, sederent Cyprianus, Hilarius, Gregorius, Basilius, Joannes Constantinopolitanus, ut taceam alios, nunquid doctiores, prudentiores, veraciores Iudices querere auderes? ipsi contra dogmata vestra clamant, ipsi scriptis suis scripta vestra condemnant, quid queris amplius? Quòd si quæras, si Concilio Oecumenico (de hoc enim loqui Augustinum certum est ex illis verbis: *Ut propter illos Orientis & Occidentis Synodus congregetur; opus non est, cujus ergo auctoritate & sententiâ hæreses elidentur, verusque Sacrarum Scripturarum sensus elucidabitur?*) respondet Augustinus: *Si Romana Ecclesia Presidentem B. Innocentium audire voluisses, jam tunc periculosam Juventutem tuam Pelagianis laqueis exuisses. Quid enim potuit vir ille Sanctus Africanus respondere Concilio, nisi quod antiquitus Apostolica Sedes, & Romana cum cæteris perseveranter tenet Ecclesia? Quibus verbis duo docet Augustinus, videlicet, & non posse Romanum Pontificem ab antiqua, & vera doctrina aberrare, & ejus auctoritatem sufficere hæreticis laqueis exuendis.* S. Prosper quoque in Chronico: *Tunc Pelagianorum machina fracta sunt, quando B. memoria Innocentius nefandi erroris capita Apostolico mucrone percussit.* Et S. Hieronymus de Irenæo Romam misso: *Omnium doctrinarum curiosissimus explorator non moles edificiorum Urbem circumeundo, sed Apostolica Sedis fidem, ritus, mores, ac disciplinam, quam illi Petrus, & Paulus Apostolorum Principes tradidissent, perscrutabatur, nactusque ibi Apostolicas traditiones integras & illibatas, ut ab Apostolis tradita fuerant, ad eas omnes, quos scriptis exagitat, exinde provocavit hæreticos, quos sciret eo solo tam patenti testimonio posse convinci.* Sozomenus l. 6. c. 22. *Qua de controversia Romanus Pontifex certior factus, scripsit ad Ecclesias Orientis literas, ut una cum Sacerdotibus, & Episcopis Occidentis Trinitatem, & Consubstantialem esse, & gloriâ æqualem existimarent. Quo factò singuli rebus ab Ecclesia Romana semel judicatis acquieverunt, hæcque Controversia finem habere visa est.* Sixtus II. PP. Memor sum, me sub illius nomine Ecclesiæ præsidere, cujus à Domino JESU Christo confessio est glorificata, & cujus fides nullam hæresim unquam fovit, sed omnes quidem hæreses destruit. Omitto alia jam superius memorata.

Dices. Etiam ab alijs Episcopis, privatisque Synodis fuisse hæreses damnatas, ut ex Augustino constat, locis citatis; non ideo tamen

(a) Ibid. l. 2. c. 37. vide etiam l. 2. c. 10.

tamen sequi, sententias Episcoporum & particularium Synodorum esse irreformabiles; ergo ex hoc Capite non potest deduci Infallibilitas Summorum Pontificum.

Resp. Maximum esse discrimen inter sententias Pontificum, & inter sententias Episcoporum hæresin aliquam damnantium. Episcoporum enim sententiæ erant tantum doctrinales, non verò dogmaticæ & ultimæ, arque irreformabiles; nec prius valebant, quam à Summo Pontifice confirmarentur; sententiæ verò Pontificum Dogmaticæ & ultimæ, nec poterant iterum in iudicium, litèmq; vocari, adeò, ut si permissu Summorum Pontificum prædamnata à Pontifice hæreses iterum in Concilijs examinarentur, non id erat, quòd causâ à Romano Pontifice jam finitâ dubitare liceret, sed ut auctoritate tot Patrum, doctrinâ & sanctitate florentium, argumentisque ab eis tantâ efficacità & eloquentiâ productis hæreticorum perveracia obrueretur. Id ita esse patet testimonijs eorundem Patrum. Nam S. Hieronymus: (a) *Hæc est Fides, inquit, Pater Beatissime, quam in Ecclesia Catholica didicimus, quamque semper tenuimus, & tenemus, in qua si minus peritè, aut minus cautè foritè aliquid positum est, emendari cupimus à Te, qui Petri & fidem, & Sedem tenes.* S. Cyrillus Alexandrinus epistolâ ad Cœlestinum PP. *Quamvis hæc ita se habeant, non prius tamen Nestorij communionem confidenter deferere ausi fuimus, quam hæc ipsa Pietati Tuæ indicaremus. Digneris proinde, quid hæc sententiæ, declarare.* S. Paschalis PP. (b) *Ajunt, in Concilijs statutum non inveniri, quasi Romæ Ecclesia legem Concilia ulla præfixerint, cum omnia Concilia per Romani Pontificis auctoritatem & facta sint, & robur acceperint, & in eorum statutis Romani Pontificis patenter excipiatur auctoritas.* S. Innocentius I. PP. *Quidquid, quamvis de disjunctis, remotisque Provincijs ageretur, non prius Patres ducebant finiendum, nisi ad Sedis notitiam perveniret, ut tota hujus auctoritate pronuntiatio firmaretur.* S. Stephanus Archiepiscopus suo & trium Africae Conciliorum nomine: (c) *Vestrae Sedi Episcoporum iudicia, & summorum finem iudiciorum Ecclesiasticorum in honorem Beatissimi Petri Patrum Decreta omnium cunctam reservare sententiam; antiquis enim regulis constitutum est, ut quidquid horum, quamvis in remotis ageretur Provincijs, non prius tractandum, vel accipiendum sit, nisi ad notitiam alius Sedis Vestrae fuerit deduc-*

B b etum,

(a) Habetur in Decr. Gratiani cap. quoniam 24. q. 1. (b) In capit. significati de elect. (c) In epist. ad Damian. PP.

Etum, ut ejus auctoritate juxta quod pronuntiatum fuerit firmaretur. S. Damasus: (a) *Nulla unquam Concilia rata leguntur, quae non sint fulta Apostolica auctoritate.* Coelestinus PP. in Instructione Legatis suis ad Concilium Ephesinum data: (b) *Auctoritatem Sedis Apostolica custodire debetis, siquidem & Instructiones, quae vobis tradita sunt, hoc loquuntur, ut interesse Conventui debeatis: ad disceptationem si fuerit ventum, vos de eorum sententijs judicare debeatis, non subire examen.* S. Gelafius: (c) *Hoc robur obtinuit, quod in Synodo firmavit Sedis Apostolica auctoritas, quod refutavit, firmitatem habere non potuit.* Omitto sexcenta alia, ex quibus palam est, latum discrimen à Patribus agnatum esse inter sententias Episcoporum, & sententias Romanorum Pontificum, haereses aliquas damnantium, ut videl. istorum vellent esse ultimas & decretorias, illorum verò adhuc reformabiles, & judicio Pontificum, etiamsi in Concilio Oecumenico latae essent, omninò subjectas.

Sed videamus nunc, quænam in particulari haereses à solis Romanis Pontificibus extra Concilium Oecumenicum damnatae sint.

Certum est, à Christi nativitate usque ad annum 325. quo Concilium Nicænum celebratum est, nulla fuisse Oecumenica Concilia celebrata, & tamen quàm plurimæ haereses toto hoc annorum decursu & extiterè, & abolitæ, aut saltem damnatae sunt. Et quamvis in particulari non semper ostendi possit, eas à Romano Pontifice damnatas esse, quippe flagrantibus persecutionibus, & Ecclesiâ Romanâ omnibus venis sanguinem fundente, orium non erat Romanis Pontificibus multa scribendi, & posterorum memoriæ commendandi; vix tamen dubium esse potest, auctoritate Summorum Pontificum fuisse confixas. Constat enim unâ parte testimonijs supra productis, Ecclesiam supra fidem Petri ejusque successorum fundatam esse, idque Patres primorum seculorum palam professi sunt, nam præter dicta Sozomenus scribit: (d) *Julium ad eos, qui Antiochia convenerant, scripsisse, atque incusasse, quod contra leges Ecclesiæ eum ad Concilium non vocassent, nam Legem esse ad Sacerdotij dignitatem spectantem, quæ pronuntiat, acta illa irrita esse, quæ præter sententiam*

Episcopi

(a) Epist. ad Stephanum. (b) Commonitor. Coelest. à Balluzio nuper editum ex MM. SS. Codic. Colbertino & Vaticano. (c) S. Gelaf. l. de vinculo anathem. (d) Lib. 3. hist. cap. 9.

Episcopi Romani constituuntur. Et ipse Athanasius ex persona Julij, cujus epistolam recitat: (a) *An, inquit, ignari estis, hanc consuetudinem esse, ut nobis scribatur, ut hinc, quod justum est, desiniri possit? nunc autem nos, quos certiores minime fecerunt, postquam jam egerunt, quod libuit, suffragatores sue damnationis, cui non interfuimus, esse volunt; non ita se habent Petri & Pauli ordinationes, non ita Patres docuerunt, sed fastus iste, & novum studium est. Quæ enim accepimus à B. Petro Apostolo, hæc vobis scribimus.* Ubi vides, hanc Pontificis Romani auctoritatem ad Apostolorum traditionem referri. Ex altera verò parte æquè constat, Pontificum in fidei causis sententiam ad eam Ecclesiam Catholicam venerari solitam, ut qui eam non reciperent, teste S. Ignatio Episcopo Antiocheno, qui primo Seculo floruit: (b) *Qui his non obedit* (loquitur de SS. Cleto & Clemente) *atheus prorsus & impius sit, & Christum contemnit, & Constitutionem ejus imminuit.* At quæ est Christi constitutio, nisi illa? *Tu es Petrus, &c. Tibi dabo claves Regni Cælorum, &c. Pasce oves meas.* At hæc Christi constitutio aut de omnibus Petri successoribus intelligenda est, aut non est intelligenda de Cleto & Clemente, cur enim potius de Cleto, quàm de Alexandro, de Gregorio, de Innocentio? Cùm ergo constet, Romanis Pontificibus supremam in causis fidei decidendis auctoritatem concessam, eamque in primitiva quoque Ecclesia agnitam, summâque veneratione exceptam esse; quis dubitet, in profligandis hæresibus Summos Pontifices illâ non esse usos? Poterant, debebant, ergo fecere, alioquin sancti non essent. Et id eodè S. Irenæus de S. Clemente scribit: (c) *Dissensione non modicâ inter eos, qui essent Corinthi, fratres factâ, scripsit quæ est Romæ Ecclesia potentissimas litteras Corinthijs, ad pacem eos congregans, & fidem eorum reparans, & ammittans, quam ab Apostolis receperant, traditionem.* Sic Cerdon & Valentinus hæresiarchæ (d) coram Hygino S. Pontifice hæreses suas recantârunt. Sic Theodotus hæresiarcha, Theodoro (e) & Eusebio testibus, à Victore Pontifice damnatus, & Ecclesiâ ejectus est, quòd doceret, Christum hominem tantummodò, non etiam Deum esse. Idem Victor, ut habet Eusebius, *totius Asiæ Ecclesias, & alias finitimas* (quamvis traditionem Joannis Evangelistæ prætexerent)

B b 2 tan-

(a) S. Athanas. apolog. 2. ad Orient. (b) S. Ignat. epist. ad Roman. (c) S. Iren. lib. 3. adu. hæref. cap. 3. (d) Anno 155. testibus Irenæo lib. 3. cap. 4. Eusebio lib. 4. cap. 10. (e) Anno 196. Theodoret. hæretic. fab. lib. 2. Eusebius lib. 5. hist. cap. 27.

tanquam alterius fidei & opinionis literis graviter objurgatas simul omnes à Com-
 munionem Ecclesie semovendas auxit; quod videl. celebrarent Pascha deci-
 mâ quartâ Lunâ, quacunque die incidisset. Id verò quamvis Ecclesia
 Romana tolerasset, postquam tamen verti in hæresin cœpit, &
 Judaismo ansam præbere (quod Nicephorus testatur) (a) quod-
 que conniventia Ecclesie fuerat, pro necessitate ac debito jactari,
 (pari ferè ratione, quâ hæc tempestate de necessitate utriusque in
 Communionem speciei à Calvinistis differitur) Victor necessariam
 esse severitatem credidit, quamvis ab ea sanctum Pontificem Ire-
 næus vehementer dehortatus sit, potestatem quidem Pontificis
 agnoscens, sed usum restringi cupiens. Ubi nota, quamvis plurimi
 historici Ecclesiastici, videl. Eusebius, Irenæus, Nicephorus,
 Hieronymus, Photius, alique hujus rei meminerint, nullus eorum
 tamen scribit, Episcopos Victori hanc potestatem negasse, sed tan-
 tum hortatos esse, ut pacis causâ nimîa severitate temperaret. Et
 temperavit quidem Victor, sed ejus sententia contra omnium
 Asianorum, & Synodi Ephesinæ Decreta omninò vicit, ac Nicæno
 Concilio confirmata est. Paulò post Zephyrinus (b) Victori suc-
 cedens hæresin Montanistarum & Cataphrygum anathemate
 ferit, & præcipuum hujus hæresis Caput Tertullianum, quod
 ipsemet fatetur, (c) unde perpetuum Tertulliani in Pontifices
 odium, more omnium hæreticorum, Judicem, à quo plectuntur,
 averfantium. De ejusdem Zephyrini contra Cataphrygas Decreto
 hæc scribit Tertullianus: *Audio etiam, decretum esse propositum, & quidem
 peremptorium: Pontifex Maximus, Episcopus Episcoporum dicit; ego & mœchia,
 & fornicationis delicta sanctis pœnitentiâ dimitto.* Ubi observas, jam tunc
 temporis, quamvis flagrante persecutione, Romanos Pontifices
 supremâ auctoritate suâ uti solitos esse, in materia videl. fidei (talis
 enim erat, de qua tunc temporis quærebatur, videlicet, an relapsi
 ad pœnitentiâ recipi possent) Decreta, & quidem *peremptoria*, hoc
 est, definitiva proponendo, quibus omnes Christi fideles obedire
 tenentur; hæc verò Decreta, ut alias ostendi, infallibilitatem Pon-
 tificiam supponunt. Origenes à Dionysio Episcopo Alexandrino
 hæresis accusatus, fidei suæ professionem Romam ad Fabianum
 Ponti-

(a) Nicoph. lib. 4. cap. 30. Tertull. de Præscript. cap. 53. Euseb. 5. hist. cap. 91
 (b) Anno 215. (c) Tertull. de jejun. cap. 1.

Pontificem misit : (a) sed cum calamo fides non haberetur, ipse Romam accessit, (b) ratus, se hæresis notâ satis absolutum fore, si à Romano Pontifice reciperetur.

V. Cyprianus, omnèsiq; ferè Africani Patres, à Stephano Papa (c) anathemate percussus, aut saltem territi, ob repetitum hæreticorum baptismum. Ubi planè enituit invicta Romanorum Pontificum auctoritas, quando contra torrentem Africanæ eloquentiæ, & sanctitatis, frustra obnitente Cypriano (cujus in Ecclesia Catholica eâ tempestate summa veneratio) veritati suffragium tulit, effecitque, ut toto Orbe probaretur. Planè nunquam magis credi potuit, errasse Pontificem, quàm cum Cypriano, totque, & tam numerosis Synodis (in quibus florem Catholicæ Religionis facillè collectum vidisses) adversatus est; vicit tamen, & pro illo veritas stetit. Quando errabit Pontifex, si tunc non erravit? num aliquando doctiores, sanctioresque adversarios habebit, quàm Cyprianum, & tot alias Synodos Orientis? ergo si tunc, quando tam multi, robustique impellebant, hæc Petra non cecidit, frustra expectas aliquando casuram; stetit, stabitque, ut Petram decet.

Dices: Etiam post prolata à Stephano sententiam, dirasque intentatas nec Cyprianus, nec alij Africanæ Episcopi acquievère; non ergo credebant, Pontificem falli non posse.

Resp. De certamine Cypriani cum Stephano alibi dictum est, & dicitur postea, cum objectiones dissolvemus; nunc verò id solum dico, Cyprianum, ejusque asseclas, si crediderunt Pontificem ex Cathedra docentem falli posse, omninò errasse; neque id mirum est, aut absurdum; si enim errarunt circa Baptismum, cur non errare potuerint circa Pontificem? & si tu absurdum & falsum esse non credis, cum dicitur, Cyprianum circa Baptismum errasse, cur absurdum, & falsum esse credas, cum dicimus, errasse circa Pontificem? præsertim cum nemo unquam falsam doctrinam pertinaciter defenderit, qui non hoc ipso cum Romano Pontifice bellum gesserit, jurato videlicet, & necessario mendacij hoste, ac vindice veritatis; ut adèd unum idèmq; sit, Pontifici bellum, & veritati indicere, quemadmodum unum idèmq; est, in leges & in Judicem offendere. Et verò ubi primus ille animorum ardor defertur,

B b 3

(a) Anno 248. (b) Euseb. lib. 6. hist. cap. 28. 29. (c) Anno 258.